

INCIPIT EPISTOLA YGINI PAPAE DE FIDE ET RELIQUIS CAUSIS

32v

Yiginus in Christi nomine almae urbis Romae episcopus cunctis in apostolica fide et doctrina degentibus salutem.

1

Carissimi, deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati et de peccato
 5 damnavit peccatum in carne, ut iustitia legis impleretur. Filius non secundum
 deitatem solam a patre missus est, sed secundum carnem, quam clementer et pie
 pro nobis assumere non dedignatus est. Nam quod semetipsum exinanita maiesta-
 tis suae potentia idem se filius miserit, apostolus contestatur et dicit: Semetipsum
 10 exinanivit formam servi accipiens, humiliavit semetipsum, factus oboediens
 usque ad mortem, mortem autem crucis. Et Isaias: Non legatus neque angelus,
 sed ipse dominus veniet et salvabit eos. Item ibi: Palam apparui non quaerentibus
 me. Et Hieremias: Dereliqui domum meam, dimisi hereditatem meam, veni et
 factus sum illis in opprobrium. Et in Michea: Ecce dominus veniet, et commove-
 buntur montes sub eo. Et in Zacharia: Gaude et exulta filia Sion, quia ecce venio
 15 ego et commorabor in medio tui, dicit dominus. Et apostolus ad Timotheum: Hu-
 manus sermo et omni acceptione dignus, quoniam Christus Iesus venit in hunc
 mundum peccatores salvos facere. Et Malachias: Ecce subito veniet in templo suo
 dominus, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis. Et in evan-
 gelio: Non veni vocare iustos, sed peccatores in poenitentia. Item ibi: Quid nobis
 20 et quid tibi, Iesu, fili dei, venisti ante tempus perdere nos?—Item ibi: Ego veni, ut
 vitam habeant, et abundantius habeant. Item ibi: Nemo ascendit in caelum, nisi
 qui de caelo descendit, filius hominis, qui est in caelo. Numquid in his tantis ac
 talibus testimoniis, quibus se filius dei a semetipso venisse testatus est, poterit
 quis dicere ab alio et non a semetipso venisse, dum manifestum est eum, qui
 25 carnem nostram dignanter assumpsit, voluntarie et non ab alio missus advenerit?
 Nam, qui in patre manens, ubique potentia sua consistit, ubi quo a patre mittere-
 tur, omnino non habuit, quoniam nulla pars caelorum ac terrae a conspectu patris
 excipitur, ubi secundum vos a patre filius mitteretur. Et Paulus: Renovamini, in-
 quit, spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum deum crea-
 30 tus est in iustitia et sanctitate veritatis. Et ad Hebraeos: In eo enim, in quo passus
 est, ille temptatus est, nam potens est eis, qui temptantur, auxiliari. Unde sanctae
 vocationis semper caelestis participes considerate apostolum et pontificem con-
 fessionis nostrae, Iesum fidelem existentem, qui creavit eum. Et ad Colosenses:
 Nunc autem deponite et vos universa, iram, indignationem, maliciam, blas-
 35 phemiam, turpiaque verba ex ore vestro non procedant. Nolite mentiri invicem.
 Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus eius et induite novum eum, qui
 renovatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creavit eum. Numquid is,
 qui universam creaturam, visibilia et invisibilia propriae potestatis virtute procre-
 avit ac fecit, seipsum ante aut postmodum, quod dicere nefas est, creavit vel
 40 facere potuit? Et dominus in evangelio ait: Ego et pater unum sumus. Et iterum:
 Qui me odit, et patrem meum odit. Et iterum: Ut omnes honorificent filium, sicut
 honorificant patrem. Et iterum: Ut sint in nobis unum, sicut et nos sumus unum,
 tu in me et ego in eis. Et iterum: Omnia mea tua sunt. Et iterum: Ego in patre, et
 45 pater in me. Et iterum: Pater in me manens facit opera haec. Et Ioannes evange-
 lista ait: In principio erat verbum, et verbum erat apud deum, et deus erat verbum.
 Et iterum ipse ad Parthos: Tres sunt, inquit, qui testimonium perhibent in terra:

5–6 Filius ... carnem] *repeated in margin as rubric* 16 dignus] *corrected from dignos* 20 Iesu] *added* 37 is] *corrected from his* 38 propriae] *corrected from propria* 41 honorificent] *corrected from horificent*

aqua, sanguis et caro, tres in nobis sunt; et tres sunt, qui testimonium perhibent in caelo: pater, verbum et spiritus, et hi tres unum sunt. Nos itaque in natura deitatis, quia unum sunt pater et filius, nec patrem credimus aliquo tempore praecessisse, ut maior sit filio, nec filium postea natum esse, ut deitati patris minoretur.

50

3 Ceterum, fratres, salvo in omnibus Romanae ecclesiae privilegio nullus metropolitanus absque ceterorum omnium comprovincialium episcoporum instantia aliquorum audiat causas eorum, quia irritae erunt aliter actae quam in conspectu eorum omnium ventilatae, et ipse, si fecerit, coerceatur a fratribus. Criminationes maiorum natu per alios non fiant, nisi per ipsos, quo crimina intendunt, si tamen ipsi digni et irrepraehensibiles apparuerint et actis publicis docuerint omni se suspicione carere et inimicitia atque irrepraehensibilem fidem ac conversationem ducere. Nec non et peregrina negotia et iudicia prohibemus, quia indignum est, ut ab externis iudicentur, qui provinciales et a se electos debent habere iudices.

55

4 | 33r Nos quidem ex omni parte carpendo occasiones abscidimus. Nos supernae memores disciplinae qualemcumque cadentibus dexteram porrigimus et a ruinae praecipitio, quos possumus, relevamus, et defensionis adminiculum totis viribus praebere cupimus. Certe vel si mens sit recti conscia, vindicta dignus est, qui alii existit causa periculi. Qui vero innocentem vel fratrem quocumque ingenio persequitur, ipse in se iugulum mortis impingit, ut ait divinus et beatus praeco: Noli detrahare, ne eradiceris, noli accusare, ne accuseris, noli iudicare, ne iudiceris, quia, in quo iudicio iudicaveris, iudicabitur de te. Nemo creditur non odisse, quorum relatione non laeditur. Dicit enim dominus: Omne regnum in se divisum non stabit, et omnis scientia et regula adversum se divisa non stabit.

60

65

5 Ideoque necesse est, ut concorditer salubres suscipiatis hortatus nihil per contentionem agentes, sed ad omne studium devotionis unanimes divinis et apostolicis constitutionibus pareatis.

70

6 Data XVII Kl. Octobris Magno et Camerino consulibus.